

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

Level Two Medieval Latin Examination

18 April 2012

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Three kinds of heresy

Quo et anno invalescere cepit nimis heresis Wickleff in regno Bohemie et de punicione peccatorum publicorum passim per omnes fienda et similiter de predicacione verbi dei indifferenter per quoscumque eciam cuiuscumque sexus admittenda, de abolenda proprietate cleri, quam divine legi asserebat obviare; quibus adiciebant, quod dignissimum ewkaristie sacramentum sit ab omnibus fidelibus sumendum sub duplici specie tamquam utile salutare et necessarium ad salutem. Ibi quoque sumpta occasione Waldenses, qui usque latuerunt, suas cervices erexerunt primum latenter suos inducentes errores, postea vero armata manu defensare et alios ad eosdem visi sunt compellere. Surrexerunt insuper hiis diebus Adamite, qui nudi incedentes vagos coitus canum more exercebant predicantes innocentes peccare non posse. Quos tandem Siska armiger quidam ignobilis ipsorum errantium Bohemorum capitaneus ad numerum septuaginta utriusque sexus delevit. Is Siska Christi imagines in biviis et ecclesiis confregit, pariter et sanctorum ignibus tradidit.

2. Consentius admits to Augustine his reluctance to read the Confessions

Libros confessionum aliosque quam plurimos ante annos circiter duodecim habendi potius cupiditate damnabili quam bono atque laudabili doctrinae studio comparavi; hos etiam nunc quasi obsignatos incredibili oppressus stupore possedi; quos nuper admodum legere aggressus quaedam illic, quorum inquisitione aestuans laborabam, absolutissime dicta reperio et multas cogitationum mearum formas quasi pictura monstrante cognoscendo animadvertere incipio in ediscendis etiam ceteris quae nosse desidero non doctorem mihi, sed me deesse doctori. Denique ut in conspectu domini simpliciter fatear, ante hoc ferme quadriennium, id est priusquam tuae sanctitatis aspectum expetere cogitarem, duo uel tria non amplius ex primo confessionum libro legeram folia, sed sicut paternitas tua uanorum omnium mentes lippientibus oculis comparare consuevit, molesto sententiarum tuarum splendore repercussus, quia nihil illic molle nec tenerum quod uulnera luminum meorum foueret offendi, statim ad iucundissimas mihi imperitiae meae tenebras recurri et non solum ipsos sed etiam ceteros libros *sanguine uiperino cautius* euitaui.

3. About to comment on some of the obscurer Old Testament prophets, Guibert de Nogent complains of his failing eyesight

Porro si de tantarum rerum praesumptione me ab aliquo dijudicari contingat, indubie sciat me solo Dei instinctu certissime haec penetrasse mysteria. Et testor Deum, qui aspirare non distulit, nullo meo praecedente exercitio, nulla providentia, nisi quantum inter scribendum dictandumque exceptoris mei brevis admodum patiebatur mora. Hactenus enim non tam perpetuitate legendi quam nimia continuatione scribendi, utpote qui non solum dictator exstiteram, sed et laboris indefessi notarius, oculorum meorum aciem undecunque obtuderam, unde ad hoc mea immoderantia me redegit, ut exceptore adhibito, quod mihi nunquam moris fuerat, sola memoria, sola voce, sine manu, sine oculis praesens opusculum cogeret explicari. In quo pii moderatio lectoris attendat ut, si insolito mihi modo dictantem minus aliqua competenter dixisse repererit, eo mihi intuitu indulgere non differat, quo minus alienae dum mea scribit manui, quam meae quondam facere consueveram instituisse cognoscit.

4. Some good advice from Richard de Bury on the right treatment of books

Non solum Deo praestamus obsequium novorum librorum praeparando volumina, sed sacratae pietatis exercemus officium, si eosdem nunc illaese tractemus, nunc locis idoneis redditos illibatae custodiae commendemus, ut gaudeant puritate, dum habentur in manibus, et quiescant secure, dum in suis cubilibus reconduntur. Nimirum post vestes et vascula corpori dedicata Dominico, sacri libri merentur a clericis honestius contrectari, quibus totiens irrogatur iniuria, quotiens eos praesumit attingere manus foeda. Quamobrem exhortari studentes super negligentis variis reputamus expediens, quae vitari faciliter semper possent et mirabiliter libris nocent. [...]

Est enim gens scholarium perperam educata communiter et, nisi maiorum regulis refrenetur, infinitis infantis insolescit. [...] Videbis fortassis iuvenem cervicosum studio segniter residentem, et dum hiberno tempore hiems alget, nasus irriguus frigore comprimente distillat, nec prius se dignatur emunctorio tergere, quam subiectum librum madefecerit turpi rore; cui utinam loco codicis corium subderetur sutoris!